



Dissertatio obstetricio-medica inauguralis de partu praeternaturali, manu sola absolvendo

<https://hdl.handle.net/1874/295263>

DISSERTATIO OBSTETRICO-
 MEDICA INAUGURALIS
 D E
 PARTU PRÆTERNATURA-
 LI, MANU SOLA ABSOL-
 VENDO.
 Q U A M,
 AUSPICE DEO TER OPTIMO MAXIMO,
 Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS
ALEXANDRI PETRI NAHUYS,

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices,
 Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et
 Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,*
P R O G R A D U D O C T O R A T U S

*Summisque in MEDICINA Honoribus, ac
 Privilegiis rite ac legitime consequendis,*

Eruditorum Examini Submittit

H E N R I C U S S C H U L T Z,
 STADENSIS.

Ad diem XXIV. Martii MDCCCLXXXI. H. L. Q. S.

*TRAIECTI AD RHENUM,
 Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,
 ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXXI.*

15. EPISTOLA OF THE EPISTOLAS
15. HOMOGENIAE MUNICIPALIS
PATER OTTIMO. IUDICEMUS VAS

15. EPISTOLA OF THE EPISTOLAS
15. HOMOGENIAE MUNICIPALIS
CAMERARIO. ET DUM SIRITUS NOSE
VITATRITS. OMNI. GOU. TILM. DECT.
SITATRITS. ECH. TE AD CINERES. UROBE
PROGEGENING. VENIRENDO. VENIRE

15. EPISTOLA OF THE EPISTOLAS
15. HOMOGENIAE MUNICIPALIS
MED. DOCTOR. PRAGICO. DOCTISSIMO
PERIODICO. PROCTER. RATTINUM
ERCA. ALMORIM. A. MULTA. IN SE
COTAT. AMERICANA. RODONI
OU. HONORANDO. ESTIMANDO.

15. EPISTOLA OF THE EPISTOLAS
15. HOMOGENIAE MUNICIPALIS
SINCIT. HAMURGENIS. MUNICIPALIS. COI
LICE. VERRIDIANA. TAPPAH. IDE
RESON. DOCTISSIMO. DE. HIBRITA. REAR
REZION. HONOR. SEMPT. CORRENDO

15. EPISTOLA OF THE EPISTOLAS
15. HOMOGENIAE MUNICIPALIS
HIBRITA. REAR. REZION. HONOR. SEMPT.
CORRENDO. REZION. HIBRITA. REAR.

PATRI OPTIMO, INDULGENTISSIMO

JOACHIMO SCHULTZ,

AMPLISSIMI SENATUS STADENSIS SOCIO,
CAMERARIO. &c. DUM SPIRUS HOSCE
ALITARTUS, OMNI, QUO FILIUM DECET,
PIETATIS CULTU AD CINERES USQUE
PROSEQUENDO, VENERANDO.

PATRUO CARISSIMO, AMANTISSIMO

HENRICO SCHULTZ,

MED. DOCTORI, PRACTICO DOCTISSIMO
FELICISSIMO &c. PROPTER PATERNUM
ERGA SE AMOREM & MULTA IN SE
COLLATA BENEFICIA, AD ROGUM US-
QUE HONORANDO, ÆSTIMANDO.

AVUNCULO DILECTISSIMO, SUMME REVERENDO

JOANNI HEIDRITTER,

SANCTI HAMBURGENSIS MINISTERII COL-
LEGÆ, VERBI DIVINI INTERPRETI FIDE-
LISSIMO, DOCTISSIMO. &c. DEBITA REVE-
RENTIA & HONORE SEMPER COLENDO.

D. D. D.

HENRICUS SCHULTZ.

1
LITERATURO
MEDICA INACURATIS
HISTORIA DEDICATA
PARVITATI ETERRA
AGSOL A MUNDI
ADIN

2
LITERATURO
SINCERITATE
US PESTIS PROMOVENDI & APOLLONIUS THER-
APES AC DIABOLOS UASIVI ARBOREOS PRO VEN-
TILIA GLORIOSISSIMI. MUNDI OFICE SOLI
CER. ASS. CICERO. PLUTARCHUS. Q. OPIUS
MIXTA AVERTITA.
Duplici pollium pum. Viscum & Rhei-
Q. in secundum folium. Laurus. Nettaria. Eucalyptus
Tuber.



DISSERTATIO OBSTETRICIO-
MEDICA INAUGURALIS

D E

PARTU PRÆTERNATURA-
LI, MANU SOLA ABSOL-
VENDA.



§. I.



uæ Partum promovendi & absolvendi regu-
las ac præcepta tradit, easque, pro variis
rerum circumstantiis, singulis objectis appli-
cat, ars & scientia, Embryulcia, Ars Obste-
tricia vocatur.

Duplex ponitur Partus, Naturalis & Præternaturalis.
Qui secundum solitam Naturæ normam procedit,

A

Natu-

2 DISSESSATIO OBSTETRICIO-MEDICA

Naturalis dicitur; in quo vero Natura eousque a vulgari via deflectit, ut impedimenta fiant, Naturæ nullo modo exsuperanda, sed sola arte vincenda, Partus Præternaturalis appellatur.

Ex his Naturalis aliquando Naturæ soli absolvitur, absque ullo obstetricantis auxilio; alias perita manu, Naturam moderante & adjuvante perficitur: quem vero Præternaturem diximus, non nisi arte finiri potest, isque alias sola nudaque terminatur manu; alias eadem, idoneo quodam Instrumento armata, indiget.

Quandoquidem ex lege Academiæ, Lauream Medicam ambienti specimen aliquod studiorum est exhibendum, de Partu Præternaturali, qui Manuum ope finiri potest, paucis in hisce pagellis agere ac primarios, in quibus sola nudaque Manus sufficit, casus enumerare, quæque in his peragenda sunt, exponere lubet, enixe L. B. rogans, ut quæ minus recte posita offendat, juvenili ætati condonet.

§. I I.

Plurimæ sunt, quæ Partum Præternaturem faciunt, causæ & ex variis promanant fontibus; vel enim quærenda causa est in Matre, vel in Foetu, vel in utroque; aliquando culpa cadit in Obstetricantem.

§. I I I.

In Matre variae habentur, quæ Partui Præternaturali ansam dant, causæ; nimia pelvis angustiæ;

gustiæ; major illius deformitas, ex contracta imprimis Rachitide relicta; tumores ad internum Uteri Orificium, aut in Vagina, aut ad Genitalia externa, nec non ad Vesicam, aut ad Rectum, enati, præsertim si duriores fuerint, sæpen numero graviora, quæque solis Naturæ viribus nequeunt superari, partui opponunt obstacula; peccat nonnumquam obliquus Utéri situs; major præterea Genitalium ac vicinarum partium rigiditas; insolita insuper Vaginæ contractio & angustiæ; nonnulli quoque, quibus necessaria partum promovendi molimina edere parturiens impeditur, Morbi gravia aliquando obstacula faciunt.

§. I V.

Neque leviora sunt, quæ a parte Foetus veniunt, impedimenta; vel enim omne illius corpus, insolita mole, partui Naturali obstat, vel caput majori volumine, partum impedit, quod imprimis obtinet in Hydrocephalo; promoto, præter solitam Naturæ legem, ossium nexu, constantior exinde capitinis figura viam, qua foetus in vivas auras prodire cogitur, ita aliquando difficilem reddit & inæquabilem, ut Naturæ molimine expelli nequeat: Ossa capitinis solito duriora, dum angustæ aut male figuratae pelvi minus obsequuntur, similem faciunt effectum: Præternaturalem insuper partum reddunt, vel caput, vel corpus deformes; Funis Umbilicalis vel solito brevior, vel circum collum aliamve corporis foetus partem circumflexus, maximum etiam in partu producere valet obstaculum; Placenta, si Orificii Uteri ambitui ad-

4. DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

hæreat, Partum quoque Præternaturalem reddit: Foetus mortuo, cæteris paribus, Partus evadere solet difficultior, quique eodem vivo Naturalis fuisset Partus, non nunquam vertitur in Præternaturalem: omnium autem frequentissime Partus fit Præternaturalis, minus conveniente Foetus situ & positione, quæ saper numero talis est, ut illa, quæ Natura edit, foetum expellendi motima, non tantum irrita sint & frustranea, sed & potius noceant, ac Manu aut Instrumentis opus sit, ut absolvatur.

§. V.

Ex Utraque Causâ concurrente obstacula increscunt; obtinet hoc v. g. ubi Mater æque ac Foetus valde debilis est, ac necessariæ partum absolvendi vires utrius deficiunt; aut debili matre, foetus mortuus est: idem illud locum habet, ubi hoc vel illud in Utero, in Vagina, in reliquis Genitalibus, in Urinæ Vesica, aut in Recto Intestino matris, contractum fuit vitium, ac simul hoc vel illud præter naturam in Foetu datur; aut idem ille, vel ex vitio quodam Matris, ut v. g. ex obliquo Uteri situ, aut ex alia quacumque causa Præternaturalem nactus est positionem.

§. VI.

Præternaturalis tandem redditur, qui in principio Naturalis erat, partus, si imperita manus admoveatur.

Excitatis, quos Spurios vocant Obstetricantes, doloribus, non solummodo frustranea sunt præmatura illa partum

partum promovendi & accelerandi molimina, sed & præter necessitatem doloribus his ita excruciat & defatigatur parturiens, ut illo, quo viribus imprimis indiget, tempore, iisdem licta, aliquando succumbat: violentiori saltē partium irritatione, hæc ut plurimum valde inflammantur, ac concitata inflammatione tumefactæ, ulteriorem foetus viam ita difficilem reddunt & contractam, ut non nisi arte excludi valeat. Similem effectum producere solet nimium repetita, præsertim sub primum partus initium, orificii Uteri Exploratio; hæc non tantum, orificio sèpius contrectando, Uterum præmature ad contractionem sollicitat, sed & mucum detergendo, facit, ut via foetus, quæ humida, lubrica & adæquata requiritur, siccifiat & aspera; præterquam, quod oleum aut pinguedo dígoro exploranti illa, muci officinas quasi obturando, liberam illius excretionem multum impedit, ipsosque, in quibus patratur, folliculos inflammet. Frequenter etiam in eo peccant Obstetricantes, quod, ut Partum omni molimine promoveant accelerentque, suamque comonstrent peritiam & dexteritatem, illas, quæ Annii Liquorem continent, Membranas præmature disrumpant; hoc dum agunt, Natura necessario, quo ad dilatandum Uteri orificium ac parandam, qua exeat, foetus viam uti solet, medio destituitur; evacuato Liquore Annii, Uterus minorem tantum ac minus æquabilem in orificium suum vim exferere valet, quam si integro, quod foetum continet, in idem illud agere licuisset Ovo.

6 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

§. V I I.

Ethæ primariæ sunt, quæ Partui Præternaturali locum dant, causæ; priusquam autem varios, quibus diversis partus obstaculis succurrentum est, explicare aggrediamur modos, e re erit, ut inquiramus in illa, quibus obstacula hæc cognoscere datur, signa; cumque impedimenta hæc tam diverse sunt indolis, necesse est, ut distinguamus, quenam potissimum sint, quæ singulis in casibus obtinent, ut hæc, pro diversa cuiuslibet natura, eo felicius exsuperemus.

§. V I I I.

Præternaturale aliquid locum habere, colligimus in genere ex eo, si Veri, quique ad partum ducunt, adsint Dolores; si proximi brevi sese excipient; si satis sint fortes ac diutius durent; si præterea disruptis, vel sponte sua, vel arte Membranis, Aquæ effluxerint; foetus tamen sub redeuntibus doloribus, non descendat, sed ad eandem altitudinem suspensus maneat: verum ut causam, partum impedientem, removeamus, oportet, ut inquiramus, utrum accusanda Mater sit, an Foetus, utrum in Utrumque culpa cadat; num denique alio ex fonte derivanda, obtineat.

§. IX.

INAUGURALIS

7

§. I. X.

Obstaculi causam quærendam esse in majoribus pelvis maternæ angustiis, peritior comparatione capacitatis cum pelvi Naturali sæpen numero, tangendo, colligere valet, præsertim si hæc inferiora versus contractior & angustior fuerit. Diametrum ejus accuratius investigare annisi fuerunt recentiorum nonnulli, ut Cl. Steinius, Professor Casselensis, ac Dext. Couilly, Gallicus, quorum quilibet peculiare Instrumentum excogitavit, cui nomen *Pelvimetri* fuit impositum, quod, in Genitalia immissum, pelvis minoris amplitudinem & angustias determinando inservit, quod & dijudicet, utrum Naturalem Partum sperare & exspectare liceat, num vero Manuum aut Instrumentorum ope debeat absolvi.

Ut male conformatam compositamque Pelvim, obstaculi majoris causam esse, cognoscamus, e re est, ut naturalem illius figuram menti obvertamus, ita ut plurimum, si major obtineat deformitas, eandem distinguere licet, imprimis si inferiora versus pelvis fuerit defigurata: & in vitiata pelvi latitare Partus Præternaturalis causam, certiores simus, si in juventute Rachitide laborasse parturientem, constiterit.

Tumores, ad Uterum ac Vaginam ejusve viciniam obvios, si quis naturalem partium habitum sibi perspectum habet, explorante digito, ut plurimum facilius distinguet; & simili modo affectam esse Vesicam Rectumve, partium illarum loca explorando, cognoscet; eoque in casu, rei

8 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

rei obscuriori multum lucis addunt ipsa, quæ Morbos harum partium indicant, Signa & Symptomata.

Externa autem Pudenda præter naturam intumescencia, aut tumore duriori obsessa esse, tum digitis, tum oculo, facile admodum discernimus.

Obliquum Uteri situm, causam esse, quæ partum impedit, varia, quæ Præternaturalem Uteri positionem esse, indicant, Signa docent, tum quæ tempore Graviditatis, tum quæ Partu appropinquante, tum impribus quæ ipso Partus tempore sese produnt; qualia sunt, Dolores spurii, qui hoc in casu solito frequentiores sunt & valde vehementes; tum diversa Ovi, foetum continentis & Amnii Liquore distenti, figura, quæ dum sub recto Uteri situ brevior ac planior est, & in majorem latitudinem expansa, sic ut Sphæræ majoris segmentum referat, sub situ Uteri obliquo magis est oblonga ac propendens, & minus lata, ita ut sæpius Intestini ad instar ultra internum Uteri orificio ovum propendeat, imo & aliquando secundum omnem vaginam propulsum; pyriformis extra Pudenda propendeat: ob inæquabilem etiam & violentam Uteri contractionem, vehementer admodum presso & in ossa duriora acto Ovo, citius id disruppi & Amnii liquor effluere solet: cumque caput in hanc vel illam agitur pelvis partem, & sic liberior a parte oppositâ via manet, effusa majori Liquoris illius parte, continuum sequitur humoris stillicidium & ex hac etiam causa aliquando tantum caput inter & pelvis ossa, interstitium relinquitur, ut unum alterumve digitum interponere detur: evacuatis insuper citius Aquis, inferior pars Uteri minus intra Vaginam descendit ejusque Orificium non nisi lente admodum dilatatur, ea que dilata-

dilatatio minus æquabiliter procedere solet; & ex his causis fieri, videmus, quod caput infantis diutius ad supremam pelvis oram sistatur, nec nisi difficilius digito explorante attingatur.

Quæ porro ex majori partium Genitalium ac vicinorum rigiditate moventur, obstacula, digitis facta partium illarum exploratione, solent cognosci, atque illorum etiam ope insolitas Vaginæ ejusve Orificii angustias dijudicamus.

Accusandum denique esse hunc illumve, qui partum difficilem admodum reddit impeditque, Morbum, ipsa, quæ sub partu difficiili admodum & præternaturali vel ante eundem, sese offerunt, Signa produnt.

§. X.

Quemadmodum autem varia a parte Matris habentur partus obstacula, ita etiam, ut vidimus, multo nomine partui ipse obstat Foetus.

Impedimenta hæc sua etiam habent, quibus dignoscuntur, Signa.

Ubi ex majori capit is mole difficilis admodum & præternaturalis sit Partus, abdomen minus desidit, internum Uteri orificio minus descendit, sed ad supremam pelvis oram quasi suspensum manet, ibique ita dilatatur, ut omnem fere illius amplitudinem occupet; Ovi Membranæ, dolorum vi deorsum pulsæ, Sphæricam figuram induant, iisque disruptis, Partus negotium vel

10 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

nihil vel parum promovetur, ac caput ita ad pelvis superiora inclavatur & incuneatur, ut unum quasi cum pelvi corpus faciat. Quodque majus capitis volumen ex contracto fiat Hydrocephalo, patet; si, explorando, tumorem capitis mollem admodum deprehendamus, idque fluctuationem digito exploranti moveat.

Quod solito major capitis Stabilitas partui obstat, ex eo colligimus, quod ne quidem graviores, qui ad partum faciunt, dolores, capitis figuram, quæ alias præ laxiori ossium nexu notabilem admodum mutationem subire solet, quæque ex subglobosa in oblongam, conoidæam aut pyramidalem convertitur, mutent.

Reliquum corpus vel justo majus esse vel deformè, conjicimus, si expulso jam capite, reliqua pars corporis quasi suspensa hæreat; ac rem plenius cognoscimus examine digitorum; in casu priori corporis truncum ab omni parte aequabiliter constrictum percipi-mus; in altero saepius præternaturalem illius formam detegere datur.

Funem Umbilicalem esse vel solito breviorem, vel quod frequentius fit, circum collum aliamve corporis partem convolutum, qui obstat, quo minus partus absolvatur, non ita facile distinguimus; hanc peccare causam, suspicimur, ubi nullæ aliæ sese produnt causæ impedientes, ac caput sub quolibet dolore aliquantum detrusum, eodem desinente, mox iterum adscendit, & ad eamdem, quam antea tenebat, redit altitudinem: ubi præterea caput, sub doloris initium depresso, unico quasi sistitur momento; ubi deinde ipso, quo ca-put

put egressurum est, temporis punto Hæmorrhagia oritur.

Placentam, Uteri orificio obversam, partum impedire, explorando distinguimus, simulac eousque apriatur Uteri orificium, ut digitum admittat; loco enim Ovi æquabilis, mollieris ac digito cedentis, corpus percipimus, quod minus æquabile est, magisque consistit & valde renititur; semper etiam ab incipiente illius solutione, Hæmorrhagia sequitur.

Majorem in partu difficultatem ac graviora sæpenumerio obstacula experimur, ubi Foetus ante partum moritur: hunc casum ex variis dignoscimus signis & circumstantiis: ubi ultimo graviditatis tempore moritur Foetus, non tantum nullum incrementum capit abdominis tumor, sed potius detumescit: corpore præterea in hanc vel in illam partem citius moto, ponderis majoris in illam partem gravitantis sensum mater percipit; ipso insuper, quo Foetus exspirat, tempore, levior ille quem Foetus edebat, motus cessat; aliquando gravem admodum & violentam, qualem exspirantes edere solent, agitationem motumque convulsivum percipit, eoque tempore horripilationem in universo corpore experitur Mater: nonnulla equidem alia, quæ foetus mortem indicant, enumerantur signa, ut v. g. lividus faciei color, oculi concavi, cordis palpitationes, anhelosa respiratio, halitus foetens, dolor capitis, aurium susurrus, febris, animi deliquia, continuus ad reddendum lotium, & ad exonerandam alvum, stimulus, aliaque similia; verum hæc, dum sæpius ex aliis etiam fontibus promanant, dubia admodum sunt & incerta. Ubi autem ab aliquo

12 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

tempore mortuus est foetus, non tantum gravem spirat odorem, sed & contracta putredine, Epidermide linquitur.

Quod diversos attinet Foetus situs & positiones, haec sua quoque habent, quibus innotescunt, Signa, cumque nulla est pars corporis, quin sese aliquando partui offerat, signa haec multum variant.

Prævium caput esse, docet orbicularis illius ambitus ac tuber convexum, tum Fontanellæ ac Suturæ, quæ, prævio vertice, accuratius etiam monstrant, qualis sit capitis situs & positio; utrum faciem Ossi Sacro, numero Pubi habeat obversam, aut ab alterutro latere collocatam; siue verticis loco, facies sese primum offerat, facta, brevi a disruptis membranis ac effusis aquis, exploratione; (suborta enim deinde inflammatione, res obscurior fit,) variæ, quæ faciem occupant, partes, ut Oculi, Genæ, Natus, Os, Mentum, rem redundant certiore, quæque ore continentur, Lingua & Maxillæ, Oris aperturam ab Ano distinguunt: si vero lateralis pars capitis, prima Uteri Orificio obvertatur, Aures, digito explorante, ut plurimum mox deteguntur suaque figura dignoscuntur.

Quod Collo suo sese offerat Foetus, ex minori caput inter & humeros intervallo sinuato, tum ex Trachea gibba & prominente, aut ex Vertebris cervicis, colligimus, prout vel pronus jaceat, vel supinus.

Quod priori Thoracis parte Uteri Orificium spectet Foetus, docent Sternum, Claviculæ ac priores Costarum partes, imprimis Costarum Cartilagines, quæ peritiori digito facto examine, ut plurimum fatis possunt distingui:

distingui: ac simili modo ex prominentibus Vertebrarum Spinis, ex Costis & ex Scapulis, Dorso imcumbere Foetum, cognoscimus: Quodque pronus Abdomine suo Uteri orificio oppositus jaceat, Umbilicalis indicat Funis, qui ex medio abdomen incipiens, mox detegitur: Lumbos autem esse, quod explorante digito tangimus, ex ipsis patet Vertebrarum Lumbalium Spinis tum & ex plaga molliori, Costis ac Coxarum ossibus intermedia.

Prævias esse Clunes, docet gibba ac æquabilis illarum facies, Sinus iisdem intermedius, ac Ani Rima, ut & Genitalia.

Primos descendere Humeros, indicant Axillæ, Claviculæ, Scapulæ, nec non Costæ.

Cubitum esse, qui elabitur, ex ipsa illius flexura quique huic adstat, processu Olecrano dignoscimus.

Manum esse, quæ prima prodit, docent illius digitæ, qui dum intra manum flexi esse solent, pugnum faciunt. Manumque a Pede distinguit imprimis Pollex, qui hic brevior est ac longe alium habet situm.

Præviam esse Coxam, indicant ipsa Coxarum Ossa, tum proximæ Clunes & Genitalia.

Quod Genua offerat Foetus, tum ex illius flexura, (quæ hic tuber latius ostendit & planius, quam flexura Cubiti,) tum imprimis ex ipsa, quæ medium Genu articulum occupat, Patella dijudicamus.

Pedem denique extremum esse, qui partui offertur, non vero Manum, ex eo distinguimus, quod hic in majorem longitudinem sit auctus, quod major hic obtineat digitorum æquabilitas, quod e regione digitorum

14 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

in Calcem; quod ad utrumque latus in Malleolum, protuberet.

Atque illa, quæ hucusque de diversis, quibus partus difficultis & præternaturalis redditur, obstaculis disputavimus, docent, quod a parte Foetus æque ac a parte Matris, plura habeantur, quæ sola maxima parere valent impedimenta & obstacula; atque ex his facile liquescit, quod si plures concurrant causæ impudentes, casus difficilior & gravior reddatur; neque opus est, ut pluribus demonstremus, quod, ubi maiorem in partu percipimus difficultatem, simulac aliquam a parte Matris aut a parte Foetus offendamus difficultatis causam, observatione hac contentos esse non oporteat, sed repetita vice examinare, nonne plures simul adsint, quæ partui obstant: in sola Matre plures aliquando concurrunt; idem hoc aliquando fit in Foetu; peccat saepius etiam Foetus una cum Matre, & ut vitia corrigamus, ac Naturæ arte nostra felicius succurramus, maximæ ut plurimum est necessitatis, ut cuncta hæc plenius cognoscamus.

Quibusnam autem hoc innotescat signis, sponte patet; iterata vice & accuratius parturientem explorare satis est, ita pleraque saltem, si enumerata signa consulamus, discernentur obstacula.

§. X I.

Quod tandem illas attinet, quæ a foris accedunt, difficultatis causas, quas vel minus peritæ vel nimis præ-

præcipites producunt Obstetrics, hæ sæpius ægre deteguntur, ac fideliter quid sibi actum fuerit, & quoniam tempore, Obstetricans exponat, necesse est; qui alias ipsius Naturæ sunt errores, alias committuntur Obstetricanti; eadem illa, quæ alio tempore convenient & laudari merentur, partum promovendi molimina alio iterum tempore nocent ac Partum potius Difficilem reddunt & Præternaturalem.

§. X I I.

Ita nunc descriptis, quæ ex varia scaturigine emanant, difficultatis causis, facilius intelligetur, quid plerisque in casibus sit agendum, ac quamnam in reducendo, quæ a vulgari tramite recefferat, Naturam, viam ingredi oporteat: non eodem enim modo in omni casu est procedendum, quodque antea jam notavimus, sola aliquando ac nuda Manus sufficit; aliis in casibus eadem indigemus hoc illove Instrumento armata; atque hos casus rite distinguamus, necesse est; in omni illo, in quo nuda Manu partum absolvere licet, rejectis Instrumentis, sola hac uti tenemur; præterquam enim quod vel sola Instrumentorum suspicio adstantibus ipsique præsertim parturienti terrorem, (qui semper nocet) incutiat, nunquam Instrumenta adhibentur, quin vel parturienti, vel foetui, vim aliquam inferant, quapropter non nisi urgente admodum necessitate in auxilium debent vocari.

§. XIV.

16 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

§. XIII.

Ut autem dilucide magis pateat, quibusnam in casibus partum Manu absolvere liceat, & oporteat, primum varios illos, in quibus in genere Arte sua eundem perficere tenetur Obstetricans, casus enumerare juvat.

Variæ sunt rerum circumstantiæ, in quibus partus negotium Naturæ committere non licet; imo plures habentur casus, in quibus, quamquam secundum naturam dispositum est caput foetus, arte nostra opus est.

De his casibus primum agere lubet.

§. XIV.

Primus scilicet, in quo prævio capite, efficaciori modo Naturam adjuvare & reducere oportet, casus est, ubi in maturo foetu una cum Capite alia quædam Pars corporis partui sese offerat, dum etenim pelvis, secundum naturam etiam, tam angusta est, ut solum maturi foetus caput aegre transmittat, ab alia quadam corporis parte, una cum capite Utero exeunte, necessario ita occupatur via foetus, ut caput ulterius descendere nequeat, pelviique inclavetur ac pessimi utplurimum generis partum præternaturalem faciat; eoque magis prævertienda & corrigenda est hæc partus species, quod caput

caput sub eodem ab illo, quem sequi oportebat, pelvis axe deflectere solet, unde novum generatur partus obstaculum.

Verum ad artem similiter est confugiendum, ubi, foetu maturo, caput comitatur Funis Umbilicalis; quamvis enim tam parvæ sit molis. ut liberam satis capiti foetus relinquat viam, relictus tamen, ut plurimum foetum necat, præsertim si partus lentius pergit; quo tempore enim pelvim minorem intrat foetus caput, Funis tantæ exponitur compressioni, ut omnis in illo & in Placenta cesset sanguinis circulus, qui, dum, foetu nondum nato, ad vitam illius valde necessarius est, pressione illa aliquamdiu continuata, sublatus, foetum brevi necare solet.

Sed tertius est Casus, in quo, quamvis unum sese prodat Caput, idque rite etiam sit dispositum, efficaciori modo Naturæ succurrendum est, ubi scilicet vel ante partum, vel sub eodem gravior suborta fuit Hæmorrhagia, eaque, incassum tentatis, quibus debellari solet, Medicamentis, continuo pergit; præ majori etenim sanguinis jactura non tantum ita viribus exhauritur parturiens, ut debita partum absolvendi molimina faciendo impar Natura evadat, sed &, ut in aliis, in quibus gravis admodum & pertinax Hæmorrhagia obtinet, casibus, tandem succumbit: ut igitur Matris Foetusque viræ ac saluti consulamus, ubi illa, quæ sanguinem sistere solent, media irrita observantur, quæque partum naturalem accelerant, molimina frustra fuerunt tentata, aliam viam ingredi ac partum arte absolvere, tenemur.

Neque magis rem Naturæ committere licet, si parturiens

18 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

turiens graves admodum ac repetitas Convulsiones patiatur, eaque Medicamentis frustra fuerint sollicitatae: tali in casu exspectandum non est, donec Natura partum vulgari modo absolvat; dum etenim illae, quibus ad partum Natura utitur, Uteri contractiones semper & ubique sunt violentae, haec vi sua reliquum, quod jam in convulsiones primum erat, corpus in consensum trahunt, ac continuo novas ac graviores excitando convulsiones, praesentissimum reddunt parturientis vitæ periculum; quæque in corpore, Convulsionibus obnoxio, fiunt, Uteri contractiones valde irregulares esse solent, eoque ipso partus negotium retardatur potius, quam promovetur.

Neque etiam nimis diu morandum est, ubi parturiens repetita, quæque diutius durant, perpetitur Animi Deliquia: haec, si aliquamdiu convenientibus Medicamentis frustra fuerint debellata, in tempore ad artem est confugiendum, ut partus brevi finiatur: dum etenim ex debilitate fiunt, nulla prorsus spes est, fore, ut sub gravioribus ac pertinacioribus Leipothymiis, debilitata jamjam Natura, partui sufficienes editura sit vires: Violenta insuper, quibus Natura foetum expellere nititur, molimina, quique ex his generantur, Dolores, ita parturientis vires frangere solent, ut Leipothymiae exinde necessario ingravescant, quodque parturiens incurrit, vitæ discrimen magis magisque augeatur.

Manum operantem etiam quantocyus admovere oportet, ubi Placenta ad omnem orificii ambitum Utero adhaeret: hoc dum obtinet, ipsa, quæ foetum in vivas auras missura est, via prorsus obturatur, isque non, nisi remoto

remoto hoc placentæ obice, carcere suo extrahi poterit, & in tempore hoc agendum, relicta enim Placenta, non tantum irriti sunt foetum emitendi Naturæ conatus, sed iudicem, saepius repetiti, evadunt valde periculosi; ab iteratis quippe Uteri contractionibus hoc in casu ita solvi solet Placenta, ut brevi gravis admodum ac pertinax & periculosa Hæmorrhagia sequatur.

Neque magis rem sibi relinquere ac Naturalem partum exspectare licet, ubi plenaria obtinere Uteri Obliquitas observatur, isque a positione vulgari eousque in hanc vel illam partem deflectit, ut inferiori sui segmento descendere queat, ejusque Orificium maneat retractum; hoc in casu ne violentissima quidem Uteri actio, aliquid boni ad promovendum ac expellendum foetum, præstare valet; frustanea esse observantur, id agendi, Naturæ molimina; ut igitur prævertamus, quominus languescentibus doloribus viribusque exhaustis Natura tandem deficiat ac partus negotium infectum maneat, omni conamine id agendum, ut perita manu opus hoc in tempore absolvamus.

Necesse tandem est, ut Naturæ efficaciori modo Manu succurramus, ubi Pelvis, quamvis rite conformata, nimis est angusta, aut ubi tam male est figurata & composita, ut Naturalem partum sperare non liceat: aut ubi illius respectu nimis magna est capitis foetus moles, aut ubi hoc majorem habet deformitatem, quam ut per pelvem possit transpelliri; his in casibus ni nimirum obtingant angustiæ, nimiave peccet deformitas, aut figuræ constantia, sola aliquando manu omnem rem feliciter absolvere datur.

20 DISSERTATIO OBSTETRICO-MEDICA

§. X V.

Ita videmus, plurimos diversæ indolis dari casus & circumstantias, in quibus Naturæ, a vulgari tramite devianti, aptam foetum emitendi viam parare tenemur, quodque ex dictis facilius colligere licet, non diutius hic cunctandum est, sed in tempore manum operi admovere oportet; morando pessime ut plurimum peccamus; quo diutius in illis, in quibus arte opus est, casibus rem sibi relinquamus, eo casus fit difficilior: ita v. g. dum Caput sequens, Brachium excidit, quantocvys & caput & brachium repellere oportet, metu, ne partes hæ ulterius in pelvim descendentes, ita eidem incuneentur, ut postea, ne maxima quidem vi, solvi & in Uterum reduci nequeant; & eandem hanc regulam in reliquis, quos enumeravimus, observandam esse casibus, tam dilucide patescit, ut hæc plenius exponendo supersedere possimus.

§. X VI.

Sed ulterius jam pergendum est, ac videndum, quam ratione in illis, qui solis Naturæ viribus, ac naturali modo finiri nequeunt, Partubus, sit procedendum.

Discrepat hoc pro variis rerum circumstantiis, quæ in eodem etiam casu obtinent; idem ille, qui in principio sola manu, ac sæpius facile satis, potest expediri, multis in casibus temporis tractu ita ingravescit, ut sola manus partum finiendo impar sit, & ad hoc illudve Instrumentum sit configiendum, ut v. g. in capite inclinato: neque semper idem est modus, quo manu utimur;

mur; aliis quippe in casibus id tantum manu agimus, quod illius ope, Naturalem, qui prævio capite absolvitur, partum moveamus; in aliis suborto, quod vincit nequit, obstaculo, Naturam aliquem derivare, foetus positionem mutare, eumque alio, qui magis convenit, modo, manu extrahere, cogimur: Casum priorem, in quo Naturam vel deficientem vel leviter tantum deflecentem, manu adjuvamus ac moderamur, siccо pede præterimus; quamquam enim difficulter magis ponit Partum, ad Præternaturalem tamen, de quo in pagellis his agimus, referri nequit.

§. XVII.

Ubi ergo illa, quæ Partum retardant ac difficulter reddunt, obstacula tanta sunt, ut cuncta eundem lege naturali, ac modo simpliciori, absolvendi molimina irrita deprehendamus, merusque est, ne morandores in pejus ruat, ac Matrem æque ac Foetum in vitæ discrimen conjiciat, in tempore est prospiciendum, ac vi majori est utendum, ut Manus aut Instrumenti operæ foetu extracto, Partus finiatur.

§. XVIII.

Varios, quibus hoc diversorum Instrumentorum operari solet, modos exponendo non immorramur, ne-

22 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

propositos Dissertationis nostræ limites transgrediamur, singularem tantum, quā foetum in illo, de quo agimus, casu, Manus ope, extrahere convenit, rationem descripturi. Antequam vero id aggrediamur, paucis adhuc enumerandi sunt casus, in quibus sola Manus minus sufficit & Instrumentis opus est; ac varia, ex quibus hoc colligere datur, signa recensere oportebit; quamvis enim illa, quæ nudā manu sit, foetus extractio, alteri, qui Instrumentis sit, extrahendi modo longe sit anteponenda, ut quo simplicior est & minus violenta; ubi tamen eandem scopo suo inferiorem fore, ex ipsis rerum circumstantiis colligimus, præstat, ut intentatā hac viâ, manum mox apto Instrumento armemus; sic aliquando rem longe felicius & expeditius conficimus, quam si pertinacius rem solā manu absolvere velimus; iteratis quippe id agendi conatibus Uterus ac reliqua Genitalia sæpius vehementer inflammantur, parturiens præter necessitatem excruciatur & defatigatur, ac verendum, ne auctis gradatim Partus obstaculis, idem ille aut Matri aut Foeti aut utrique evadat funestus, ac dein cuncti, viventem vel integrum tantum foetum Instrumento extrahendi conatus evadant frustranei.

§. XIX.

Instrumento igitur utendum est primo, ubi caput foetus, quamquam rite dispositum, præ nimiis pelvis angustiis ejusve deformitate, aut etiam præ majori suâ mole

le nimisve stabili ossium capitinis compage, ita pelvi in-hæret incuneatum, ut vi dolorum nullo modo queat propelli, ac caput tam alte in pelvem descendit, ut manus ope tuto reduci nequeat: ac magis convenienter & desiderantur Instrumenta, ubi sub his rerum circumstantiis caput minus convenienter est collocatum, ex perversa etenim illius positione, cæteris paribus, semper & ubique obstacula ingravescunt, ac nulla manus hæc vincendo prorsus impar evadit.

Instrumento præterea indigemus, ubi caput foetus, quamvis minus incunearum, jamjam altius intra pelvem descendit, idque præ vehementi Uteri contractione, intra Uterum nequit reduci, ut per pedes extrahatur: hoc in casu si omnino cescent Partus dolores, aut si ob graviorem ac pertinaciorem Uteri Hæmorrhagiam, aut ob subortas ac repetitas Convulsiones aut Leipothymias, Partum accelerare cogamur; aut si Funis Umbilicalis justo brevior, Collo vel alii corporis parti circumvolvulus, ulteriorem capitinis descensum impedit; aut ubi majori copia Vesicam occupans Urina Catheteris ope nequit extrahi, hoc, inquam, in casu, quantocuyus Instrumentorum ope partum tentare debemus.

Sed tertius est casus, in quo eandem regulam sequi oportet; ubi foetus humerorum altero ad marginem ossium pubis hæret incuneatus, altero ad juncturam ossis Sacrum Osse Coxæ defixo: hoc in casu, si partes incuneatas solvendi molimina manu edita, frustranea sint, Instrumenta in auxilium debent vocari.

24 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

§. X X.

His nunc rite perpensis, facilius apparet, sub quibusnam rerum circumstantiis solâ manu Partum absolvere foetumque cum vi quadam extrahere liceat & oporteat.

Fieri hoc debet Partu dicto Agrippino, in quo reductâ aut repulsâ, quæ partui sese offerebat, parte, foetus intra Uterum convertitur, & per pedesprehensus, iisdem præviis Utero extrahitur.

Partu in hunc pro pessimo habuerunt Veteres, eumque non, nisi maximo cum matris dolore fieri ac ægettantum finiri posse, putarunt, & abhinc hanc partus speciem, Romani dixerunt Partum Ægrippinum vel Agrippinum, pluribusque, qui hac Partus specie extracti erant, infantibus Agrippæ nomen imposuerunt.

Nonnunquam solâ Naturæ ope & auxilio hæc finitur Partus species, eaque genitum fuisse M. Agrippam, legimus apud Plinium l. 7. c. 8. solamque aliquando Naturam huic sufficere, docent observata recentiorum, imprimis ubi pelvis majorem habet amplitudinem; ubi foetus minor est & ita collocatus, ut facies Os Sacrum respiciat; ubi Pedum Plantæ sunt junctæ, aut latâ suâ superficie Uteri Orificio oppositæ; ubi Partus Dolores fortes admodum sunt & efficaces; ac membranæ foetus Ovum continent, pressioni diutius resistunt, ac serius tantum ruptæ, aquas emittunt: longe tamen frequenter Partus Agripparum absolvitur Obstetricanti ac Manus ope, foetus pedibus Utero effertur.

Ut

Ut Encheiresis hæc ex artis lege fiat, ut minori vi & dolore absolvatur, ac feliciorem sortiatur effectum, plures observare oportet regulas, quibus neglectis, ut plurimum gravia & aliquando funesta foetui effecta sequuntur.

§. X X I.

Præcipua, quæ hic observari debent, paucis exponamus.

Primum, quod hic observari debet, est, quod Lectum, in quo decumbet parturiens, ita dispositum esse debeat, ut ab omni parte accedere liceat; quodque hoc firmum stare debeat & immotum, neque molli rectum esse debeat strato, sed culcita duriori: & ex transverso lectii supina decumbere debet parturiens, Clunibus Capite elationibus, ac inferiori corporis parte eousque a Lecto retracta, ut Coccyx ab omni illius pressione libera maneat.

Tres requiruntur adstantes, quæ parturientem firmant continentque; aliâ quippe opus est, quæ pone caput collocata, manubus utrique humero oppositis & appressis, foeminam coercet, quominus corpus retrahat elevetve: dum binis indigemus aliis, ab utroque latere ponendis, quæ genua flexa firment, ac femora ducant, pedesque gremio suo excipient.

Qui Partum absoluturus est Obstetricans, inter bina sedeat parturientis femora, ac sedile occupet, quod

D

modicæ

26 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

modicæ est altitudinis, ut quo tempore suam peraacturus est operationem, cubito manus, quā operaturus est, genu innitatur.

Quodque ipsam attinet Encheiresin, hanc observare oportet regulam, quod eandem non mox aggredi oporteat, simulac Partu Agrippino rem perficiendam esse constiterit: sed exspectandum ut plurimum est, donec Internum Uteri Orificium, ipso Naturæ molimine ad amplitudinem binorum fere pollicum, fuerit distentum, ita si sponte suâ auctum fuerit Uteri orificium, digitos manumque vi minori ac leviori molimine in Uterum immittere licet, ac minorem parturienti dolorem movimus: hanc tamen regulam in quibusdam casibus relinquere cogimur, qui moram non patiuntur, v. g. in Hæmorrhagiâ gravi admodum & pertinaci, in repetitis animi Deliquiis, in Convulsionibus &c. in quibus quanto cyus manum operi accingere debemus, iisque in casibus mox dilatationem aggredi oportet, ac uno primum immiso digito, addere debemus alterum; huic adjiciendus deinde est tertius, sic per vices intromissis ac propulsis reliquis, integrum manum in Uterum immittere licet.

Notandum præterea, quod, ubi Uterus in hanc vel illam inclinat partem, ac situm quodammodo obliquum habet, Foemina, ni aliæ, festinandum esse, suadeant circumstantiæ, in antecessum per aliquod tempus in illud decumbere debeat latus, a quo Uteri fundus deviat, ut ita pondere suo descendens, in situm naturalem restituatur, cumque sub obliquo Uteri situ ut plurimum partem tantum Uteri attingere licet, Orificium iteratâ vice leviter

leviter reprimere oportet, ut ad medium pelvis axin magis reducatur.

Antequam vero repulsionem tentemus, accuratius explorandum est, quænam pars sit, quæ sepe Partui offerat & qualisnam sit illius situs, sic sæpenumero & expeditius & facilius succedit partis illius reductio.

Et ut facilius impresso motui cedat manus digitique, e re est, ut oleo, axungia aut alia blandiori pinguedine illiniamus, ita sequuntur longe facilius, qui cæterum præ majoribus Uteri angustiis ad motum tardi, sunt digiti. Moderata manu insuper est pergendum, neque concussione aut iterato succusfu est utendum, metu, ne rudiori partium contrectatione motuque aut Matrem aut Foetum laedamus, ac mobilibus ossium foetus commissuris vim inferamus eave frangamus. Porro, (& hæc semper observari debet regula,) si sub ipsa Encheiresi verus suboriantur partus Dolor, operi suo supersedere debet Operator vel Obstetrix, donec hic cessaverit; præterquam enim, quod sub illâ, quæ Dolorem facit, Uteri contractione, idem ille tam striete circum foetum ac manum constringitur, ut hæc vix ac nevix quidem possit moveri; motus, hoc tempore editus, Uterum, irritando, inflammare ac gravem in eo dolorem excitare debet.

Sub ipsa porro Encheiresi, imprimis sub illius fine, id agendum est Operanti, quod præcaveat, quominus nimium ditendatur ac dilaceretur Perinæum; ab alluentibus enim, quæ a Genitalibus & a Vesica veniunt, humoribus minus feliciter hæc vulnera sanescunt.

Sique jam aliquâ sui parte editus sit foetus, nunc quam sibi est committendus, metu, ne forsitan sponte reli-

28 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

reliquā parte excidens , cadat in terram , aut parte quadam retentus , alicubi luxationem patiatur , & ut prævertamus , quominus manu nostra excidat , partem jamjam exclusam linteo tenui , molli , sicco , calente excipere juvat ; ita , quæ lubrica ac muco obsita est foetus cutis , manui operanti minus subterfugit , foetusque , riteprehensus , facilius extrahitur.

Observandum præterea & hoc est , quod si sub ipso foetum extrahendi molimine majorem resistentiam experiamur , quam non ita facile superare possumus , non mox vi majori uti debeamus ; longe minus alium , quo ad augendam extrahendi vim uti velimus , in auxilium vocare , rudiori enim ac fortiori hoc conatu , saepenumero caput a trunco avellitur , aut ab elongatâ admodum Spinæ medullâ , velex alio , quod contrahit , vitio , perit foetus , verum rem accuratius examinare oportet , & inquirere , qualisnam obicis , reliquam extractiōnem impeditis , natura sit , ita ut plurimum resistentiam felicius & absque ulla foetus læsione exsuperamus .

Sique jam antea distortam aut difformem esse pelvim , digito explorante compertum habeamus , manum ab illâ parte in Uterum intromittere debemus , a qua majorem esse pelvis capacitatēm percepimus , pedesque prehensuri , eosdem ita arripere oportet , ut caput maximâ sui diametro maximam occupet & sequatur pelvis maternæ capacitatēm .

Notandum etiam hoc est , quod quanquam Uteri dilatationem longe facilius ac vi & dolore minori absolvamus , postquam ipsi Naturæ aliquousque jamjam apertum

apertum sit illius orificium, a ruptis tamen Membranis (si scilicet per pedes extrahendum foetum esse, suadeant circumstantiae) diutius morandum non sit, sed mox rem tentare oporteat, ne, a constricto magis ad omnem foetus superficiem Utero, operatura manus Uterum diffcilius ingrediatur & foetus ægre magis convertatur, ac viâ Vaginæ jam magis exsiccatâ, idem ille difficilius extrahatur.

Tandem & hoc in genere observamus, quod quo minus in pelvim minorem descenderit foetus, eo facilius tutiusque absolvî soleat hæc operatio.

§. X X I.

Sed præmissis generalioribus, quæ omni in genere partui Agrippino applicari debent regulis, videndum sequitur, quænam præcepta debeant observari, prævio capite. — Atque hic primum notamus, quod eundem nunquam tentare oporteat, ubi caput jamjam in ipsam Vaginam descenderit; hoc etenim eousque jam depresso, tuto in Uterum repelli nequit. Ubi vero capite adhuc altius hæret, ut tuto fieri partus Agrippinus posse videatur, ad intervalla Dolorum, manum in Vaginam demittere oportet secundum partem illius posteriorem, sic ut dorso suo respiciat Os sacrum; eamque leniter ad Uterum propellere, & ipsum simul repellere caput, idque, si manu dextrâ utamur, secundum sinistrum Uteri latus; si vero sinistrâ, secundum dextrum, ac perinde est, (ni nonnullæ, quæ alterum latus alteri-

50 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

anteponendum esse, indicant, circumstantiae contrarium suadeant, a quoniam latere hoc fiat.

20 Reducto deinde in Uterum capite, digitorum ope explorandus est reliquarum foetus partium situs, siue primum extremi Pedes sese offerant, mox eosdem; si vero ante hos prima sese prodant Genua; haec prehendere oportet, cumque res difficilior esse solet, quamdiu Uterum foetus occupat, pedes aut genua juncta servare, nec (nisi urgente necessitate, & ubi pedum aut genuum alterum prehendere aut protrahere non licet,) per unum pedem aut genu extractionem facere oportet, prehenso Pedum aut Genuum primo, eundem primum in Vaginam detrahere, & ibidem relinquere, ac quantocvus alterum querere debemus, ut postea juncta genua pedesve junctos semel simulque extrahamus: Sed notandum porro, quod (si hoc minori cum molestia fieri possit,) semper pedes aut genua secundum foetus Abdomen detrahere praestet, quam juxta Spinam, ita superior pars foetus sursum ducenda, longe facilius cedit, ac naturalem spinæ dorsi curvaturam secuta, minori cum difficultate & tuto magis convertitur; utque inferiores artus facilius vaginam versus descendant, caput simul, volâ manus iteratè magis magisque sursum ducere oportet, sic multo felicius conversio foetus succedere solet. — Sic nunc vaginam versus ductis pedibus genibusve, foetum extrahere oportet: præviis pedibus, eosdem ita prehendit Obstetricans, ut Calces manus volâ excipiat & ne gliscendo manui elabantur, digitorum Medio supra malleolos inter bina crura collocato, pedum alterum Annulari, Alterum vero Indice digito complectitur, sic eos-

eosdem leniter agitando leviterque in utrumque latus convertendo attrahit, id agens, quod attrahat secundum lineam, quæ pelvis minoris axin sequitur; neque vi majori est utendum; in quibusdam enim casibus ad superiorem pelvis marginem retinentur Genua, unde maiorem in attrahendo resistentiam percipimus; talique in casu Crura aliquantum reducere praestat, ut mutata leviter directione, facilius attrahenti manui cedant: protractis Cruribus, Femora supra Genuaprehendit jungitque obstetricans, donec Clunes prodeant. Et simili fere modo est procedendum, si prima partui sese obtulerint Genua; eo tantum cum discrimine, quod mox Femora supra Genuaprehendat, & hæc semel simulque cum flexis Cruribus protrahat, donec Crura solvere queat. — Ad Clunes usque protracto foetu, eoque, ut antea monuimus, linteo molli ac sicco excepto, utramque jam manum truncō applicat, earumque digitis Abdomen, pollice vero utroque Lumbos complectens, leniter agitando truncum protrahere pergit, idque recta, si foetus Abdomine suo Os Sacrum respiciat, idve oblique a latere ac retrorsum in pelvi offendamus, alias enim truncum in latus convertere oportet, ut caveatur, quominus Facies, priori pelvis parti obversa, ad supremum illius marginem silitur & retineatur, quod deinde maximum in perficiendo partu parit impedimentum; perinde autem est, in quodnam latus truncus convertatur, eoversus tantum ducatur, quo versus facilius cedit. — Ubique autem eousque jam progressus est corporis truncus, ut Funem Umbilicalem attingere quicquam, e re est, ut eundem aliquantum protrahamus, ne postea pelvi ac supe-

32 DISSERTATIO OBSTETRICO-MEDICA

superiori alicui foetus parti, imprimis capiti interclusus, retineatur, ac ulteriorem foetus descensum exitumque impedit; sique forsitan Crura inter convolutionem fuerit passus, eundem solvere oportet, ne convolutione brevior redditus, partui obstet; sique circum aliam, quam attingere non licet, partem, ut v. g. circum collum, quod satis frequenter fit, fuerit circumjectus, protracto Fune, eundem solito more facta binis in locis ligatura, abscindere debemus: hoc peracto, truncum agitando protrahere pergit ad cavum Axillæ usque, ut jam ad extrahenda Brachia sese accingat. Supervacaneum hoc esse, putant nonnulli ex eo, quod saepius sponte suâ sequuntur, ac sursum ducta unâ cum capite facile satis pelvis permeant, eamque Encheires in potius prætermittendam esse, volunt, metu, ne ab interceptâ extractione, Orificium Uteri, sese circum Collum constringens, Capitis extractionem impedit; verumtamen, (quamvis, experientia teste, id aliquando feliciter satis succedat,) dum in aliis, præ majoribus pelvis angustiis aut majori capitinis foetus volume magnum in extrahendo capite obstaculum movent, eadem in antecesum solvere præstat, & ut hoc agamus, primum, si oblique in latus conversus est truncus, querendum est, quod versus posteriora situm est, Brachium, atque sublato leviter trunco, juxta brachium binos intromittimus & ad brachii flexuram propellimus digitos, ut ita brachium ad cubitum flectamus, idque dorsum versus trahamus, ita reliqua pars artus commode magis juxta Pectus descendit omneque brachium facilius solvitur & extrahitur.

Sic

Sic soluto brachiorum primo, alterum si rem eodem modo tentemus, ut plurimum sequitur facilius, atque jam secundum truncum demisso utroque, extrahendum superest caput.

Ut hoc commode ac tuto fiat, in omni casu, prudenti admodum & cautâ manu est utendum, ne ad marginem ossium pubis superiorem retentum, alioye obstaculo impeditum caput, majori extrahendi molmine vel luxetur, vel & a trunco avellatur; eumque insinem, solutis brachiis, primum manum dextram secundum pectus foetus ad Uterum ducit, ut brachio suo foetum sustineat elevetque, atque unum alterumve digitum in Os foetus prudenter immittat; & alteram mox manum juxta dorsum ac scapulam cervicem versus propellit, ut eandem digito Indice Medioque intercipiat, firmetque; ita capite, (quod, ut majori suo ambitu majori pelvis amplitudini responderet, facie suâ posteriora versus & oblique in latus collocatum esse debet, sique ab hac positione deviet, ad eandem reduci,) cum cer- vice rite prehenso, idem illud agitando quasi, & in utrumque latus leviter convertendo movet, simulque leniter protrahit, id agens, quod pro variis rerum circumstantiis id vel hac vel illâ manu vel utrâque moderetur; sique margini ossium pubis innixum eodem retineatur, ab hoc reductum, facilius detrahatur, idque reliquum corpus secutum, in lucem edatur, sique tota haec, quâ foetus per pedes extrahitur, operatio absolvitur; reliqua enim, quæ tum Foetus, tum Matris respectu agenda sunt, cum illis convenient, quæ in Partu Naturali debent observari.

E

Et

34 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

Et hac ratione, in illo, quem proposuimus, casu, sœpenumero vivo ac illæso foetu, integrâ etiam matre, satis facile partus absolvitur; notandum tamen, quod non semper æque facile procedat, pluresque dentur circumstantiæ, quibus sit, ut Encheiresis non nisi majori cum difficultate & post iterata molimina succedat; ubi v. g. vel solito angustior pelvis est, vel male conformata; aut ubi foetus ante partum male fuit dispositus, aut ubi caput majus volumen habet, quod vel ab ipsa Natura est, vel a contracto Hydrocephalo aliave deformitate; aut ubi ab Ascite ita intumuit Abdomen, ut per angustas pelvis vias sequi truncus neget; aut ubi brevior est Funis Umbilicalis, aliæve adsunt, quæ foetum descendenter impedit, cause; his in casibus pro re natâ agendum est Obstetricanti, variisque his obstaculis secundum regulas antea præscriptas, est succurrendum; ita nonnumquam illa, quæ offendimus, obstacula superare, solâque manu partum hunc feliciter satis absolvere licet: ubi vero hæc graviora esse, percipimus, quam ut simplici manu queant vinci, in tempore ad Instrumenta confugere debemus, iisque etiam frustra tentatis, foetum per partes extrahere; verum de eo hic non agimus.

Sed pergamus, & ad alios transeamus Casus, in quibus prævium quidem est Caput, sed minus recte dispositum, & exponamus, quanam lege in his arte simpliori Naturæ subvenire oporteat.

§. XXII.

§. XXXI.

Aliquando, prævio capite, primus quidem sese offert Vertex, sed caput ita conversum percipimus, ut Occiput Ossi Sacro sit obversum, Facies vero Pubis Offsa respiciat.

Ab hoc capitis situ semper difficilis evadit Partus, tum quod Caput majori suo ambitu minori opponitur Pelvis capacitati; tum quod hoc in situ præ obliquo Pelvis axe, Caput a Pectore retrahitur, & in posteriora recurvatum, Dolorum momentum, per solas Cervicis vertebrae accipit, & ita columnæ illius angustioris ope, a contracto Utero vim longe minorem experitur, quam si contrariam dispositionem habuerit, in qua Caput, Facie sua posteriori Pelvis parti obversum, in pectus inclinatur, & cum eodem in unum quasi & continuum corpus unitum, latæ hujus ope columnæ, omnem illam, quam & in pectus & in caput Uterus exserit, vim experitur, ac longe facilius & promptius angustum Uteri orificio distendit. — Verum, quamvis ex hoc situ multum retardetur & difficilis evadat Partus, si tamen nullæ aliæ, quæ Partui Naturali nocent, accedant causæ, ut plurimum post longiorem temporis moram, solis Naturæ viribus solet finiri, neque opus est, ut arte foetum alio modo extrahamus: ubi vero Caput foetus simul majoris est voluminis; ubi pelvis parturientis solito est angustior aut male conformata; ubi Uterus situm habet obliquum; aliæve, quæ Partum graviorem reddunt, adsunt causæ, Naturæ efficaciori modo est

36 DISSERTATIO OBSTETRICIO MEDICA

sucurrendum, & ne incerto fallamur rei eventu, ac caput ulterius depresso, incuneetur, in tempore arte est utendum & observatis, quas enumeravimus, regulis & cautelis, foetus extractionem moliri oportet, ita saepenumero Partus negotium feliciter absolvitur.

§. XXXV.

Sed aliis adhuc datur Casus, in quo prævio licet vertice, artificiali saepenumero partu foetum extrahere cogimur; scilicet aliquando fieri observamus, quod prævio capitis vertice foetus sit conversus in latus, ut Facie alterutrum Os Ischium respiciat: hoc in casu, si secundum naturam dispositus sit Uterus, ut plurimum Caput Pelvis solito modo adintrat, neque tantum absque ullo obstaculi indicio ad Orificium usque Vaginæ descendit, sed & aliquando extra Vaginam propendit, reliqua corporis parte ad eandem altitudinem subsistente, ac valentissimis etiam doloribus resistente. —— Hoc in casu ulteriorem foetus descensum impediunt humeri Pubis Ossibus ac Osse Sacro retenti, solus enim si obtineat situs Capitis lateralis, ut plurimum ita ad ipsam pelvis viam & angustias sese accommodat Caput, ut partus non nisi leviori indigeat auxilio; verum humeris Pelvi superius innitentibus est subveniendum, eosque ab illis, quibus retinentur ossibus solvere, oportet; eoque fine, si Caput jam Vagina sit egressum, id primum aliquantum debet repelli, ut humeri ab ipso Pelvis margine removeantur; mox vero utrimque ad Aurem prehensum ita est convertendum, ut Facies ab illo, cui oppo-

opponebatur, latere retrorsum ducatur & magis Sacro Ossi obvertatur; ita nonnunquam Capiti subiecta Cervix ac reliquus obsequitur Corporis Truncus, eoque ipso Humeri ab illis, quibus sistebantur, dimoventur Ossibus, iisque relictis, cedunt facilius, ac reliquus Partus feliciter procedit. — Verum non semper succedit simplicior hæc Encheiresis: ubi diutius effluxerunt Aquæ, & abhinc Uterus circum Foetus Corpusculum jamjam valde fuit contractus; ubi humeri valde sunt lati & ad superiorem Pelvis partem incuneati; aliæve accidunt causæ Partum impedientes, leviora hæc humeros reducendi ac solvendi molimina non sufficiunt; neque efficaciora edere licet, metu ne ob majorem Trunci resistentiam, vi adhibita majori Caput aut Cervix luxetur, vel & rudiori manu a Trunco avellatur, cuius rei exempla, proh dolor! plura prostant: præterea, quamdiu intus latitat Caput, id dicto modo non ita facile prehenditur, ut circumagi queat; idcirco hoc in Casu plures alias Encheireses præscribere solent rei Obstetriciæ Scriptores, quarum ope, solutis humeris, Foetus solitâ Naturæ lege excluditur; verum omnes hæc valde sunt compositæ, nec nisi maxima cum difficultate solent perfici; exquisitissimos præterea Parturienti dolores creare solent; varias etiam sæpenumero injurias Foetui contrahunt: quamdiu igitur intus latitat Caput, tentare præstat, utrum illud reducere, factaque Foetus revolutione, partu Agrippino rem perficere valeamus, ita si in tempore periculum faciat Obstetricans, aliquando arte hac simpliciori, integra Matre ac illæso Foetu, Partum, qui alias utplurimum instrumentis indiget, feliciter perficit.

38 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

§. XXV.

Sed aliis in Casibus fieri observamus, quod prævio Capite, prima sece offerat Facies, idque varia ratione, sic ut alias Frons Osse Sacro retineatur, Mento Pubi obverso; alias Frons ad Pubem teneatur, Mento Os Sacrum spectante; alias denique ita dispositum habeatur Caput, ut Facies ex transverso sit sita, ac Fronte alterum respiciat Os Ilium, Mento alterum. In his rerum circumstantiis nonnunquam sola Natura Partum absolvit, ut plurimum tamen aegrius, ob easdem, quas §. præcedenti tradidimus, causas; quapropter, simulac ex Sigrinis, antea expositis, primam esse, quæ Uteri orificio opponitur, Faciem, constiterit, quantocytus in id incumbendum est, ut Caput aptâ quadam Encheiresi, in situum rectum reducamus, ut sic Natura propriis viribus partum finiat. Quanam autem ratione in variis, quos distinximus, Casibus hoc fieri debeat; quam diversas in discrepantibus rerum circumstantiis eo fine ingredi oporteat vias, hic non explicamus, qui tantum de Partu Præternaturali agimus.

Ubi vero simpliciores, quæ hoc scopo laudantur & commendantur, Encheireses frustra tentavimus; aut ubi alia, quibus casus ingravescit, accedunt obstacula, absque ulla spe successus levioribus his capitum positionem corrigendi moliminiibus parturientem frustra vexamus & defatigamus, longeque præstat, ut, si pedes detegere & arripere queamus, Foetum Partu Agrippino extrahamus, vel & hac methodo frustra explorato partu, eundem

dem Vecte, Forcipe aliove modo convenienti finiamus; neque diutius hic morandum est, quo enim altius in pelvim minorem Caput prævia Facie deprimatur, eo plus patitur Facies, quæque ab omni parte valde pressa ac diutius constricta, ab impedito sanguinis motu valde intumescit ac nonnunquam exinde coerulescit & nigrescit, non nisi maxima cum difficultate reprimitur ac superiorem versus Uteri partem reduci valet; atque imprimis festinandum est in Casu postremo, in quo non nisi raro admodum exemplo, ipso Naturæ molimine ita cedit Caput, manuve Obstetricantis ita positione mutatur, ut pelvim permeare & exire queat. Hoc autem in casu, (quod rite notandum est,) si foetum prægressa inversione, per pedes extrahere velimus, præ cæteris prudenti admodum manu est utendum, ac religiose cavidum, ne eâdem Oculos aliamve faciei partem lædamus; & ut facilius res succedat, ita disponere oportet Parturientem, ut Clunes Capite sint elatiores, ac Lumbi duriori pùlvinari sustineantur; sic rite composita Parturiente, explorandum est, utrum manum in Uterum immittere valeamus, ut represso Capite pedes aut genua queramus, iisque prehensis & attractis, caput moderata manu repellamus, modoque antea descripto foetum extrahamus: sic illæso Foetu æque ac integrâ Matre saepius partus hic finitur.

§. XXV I.

Sic vidimus, quid agendum sit prævio Capite; sed non ita raro fieri deprehendimus, quod Foetus situm habet

40 DISSERTATIO OBSTETRICIO MEDICA

beat a Naturali diversum, quodque magis ex transverso jaceat; idque varia ratione, sic ut alias aliasque corporis partes Uteri orificio obversas offendamus; sic aliquando (& de hoc Casu jam dicendum sequitur) primum digito exploranti percipitur Collum. De hoc casu non opus est, ut multis agamus, eadem enim, quas modo proposuimus, regulæ, huic etiam casui debent applicari; tentandum scilicet primum est, utrum manu in Uterum immissa, digitorum ope eundem comprehendere ac humeros eosque reducere liceat, ut Caput descendat ac Uteri orificio sese opponat: hoc vero frustra tentato, erre est, ut continuò partu Agrippino rem perficiamus, si que & hoc præ aliquo, quod a parte Matri aut Fœtus oritur, obstaculo fieri non posse deprehendamus, ad alia efficaciora partum finiendi media est transeundum: neque diutius hoc in casu est cunctandum; Collo quippe iteratis Partus doloribus altius depulso, & exinde redeunte Capite, Collum valde extenditur, quæque in illo decurrunt, Vasa Caput petitura, multum angustantur & comprimuntur, sic ut omnis fere in Capite intercipiatur Sanguinis circulus, eo cum effectu, ut si diutius duret valorum elongatio & compressio, foetus moriatur.

§. XXVII.

Alio in Casu primus Partum molitur Humerus cum Scapulâ. — Hoc simulac Manu explorante, ex partibus vicinis dignoverit Obstetricans, erranti Naturæ semper arte sua subvenire debet: hoc enim in situ nunquam

quam Naturalis Partus fieri potest, neque tantillum morari licet; quo enim frequentiores, quo vehementiores evadant Partus dolores, eo altius in Uteri orificium partes hæc depelluntur, ibique magis figuntur, sic ut deinde non nisi maximâ cum difficultate possint repellî & quamquam' vi reducenti cedunt, longe difficilius, præ constricto magis circum Foetus corpusculum Utero, perficitur Foetus revolutio: quanto cyus igitur ad artem est configiendum, ac omni molimine id agendum, quod Agripparum Partu Matrem molesto Foetus onere liberemus.

§. XXVII.

Teste Experiendi, aliquando tempore Partus ita ex transverso jacet Foetus, ut primum Partui offerat Pectus. Quid hoc in situ agendum sit, nullus est, quin vel prima fronte perspiciat: sub hac corporis positione, sibi relicto Foetu, Naturalem Partum fieri non posse, dilucida res est: neque valde difficile est, dijudicare, quantum lege graviori huic casui sit auxiliandum, sola scilicet est Foetus conversio & quæ per pedes fit, Extræctio, quæ hic Partum finire valet: præ majori quippe partis oblatæ ambitu, in orificium Uteri minus descendente Foetu, pars hæc minori cum difficultate ab eodem reducitur, ubi mox ab effluente Amnii liquore Operationem hanc aggredimur; sique Femora in priora sublata & abdomini opposita habuerit Foetus, Cruribus ad Femora flexis, manus in abdomen immissa, inferiores artus

F.

42 DISSERTATIO OBSTETRICIO MEDICA

artus ut plurimum mox detegit, iisque prehensis, Foetum facilitiori negotio revolvit & extrahit. — Verum ubi hos retrorsum dorsum versus reflexos habet, (quod longe frequentius fieri, docet observatio,) multo majorem offendere solemus difficultatem, neque ita facile manui revolutionem molienti obsequitur Foetus corpusculum, præsertim ubi aliquamdiu Aquæ effluxerunt. Hoc in Casu juxta Os Sacrum ita ad Uterum mittere debemus Manum, ut hæc Dorsum suo Os illud; Volâ vero Foetum respiciat; quodque Manu a Pectore ad Hypochondria ductâ, eandem infra hæc sursum, ac Dorsum Foetus versus reflectere oporteat, ut femur alterum quæramus, & ad genu prehendamus, eoque versus inferiora ducto, alterum, ni sponte sua sequatur, simili modo arripere & ad Uteri orificium ducere oportet, ut Fœtum præscripto antea modo extrahamus. — Notandum autem est, quod ut feliciorem eventum sortiatur hæc administratio, e re sit, ut in antecessum exploremus, qualisnam sit Foetus situs; hic enim dum pectus offert, ex transverso jacere solet, Capite in alterutro Uteri latere sito, Cruribus alterum occupantibus; si dextram enim Uteri partem Caput occupaverit, præstat, ut manu lævâ utamur; si sinistram dextrâ,

Cæterum notandum, idem illud, quod jam semel iterumque factum fuit, monitum, huic etiam casui esse applicandum; scilicet, quod simulac de Pectore sese offerente constiterit, mox manum operi admovere oporteat: hoc quippe in situ si diutius sibi relinquatur Foetus, non tantum frustra Doloribus excruciat & defatigatur Parturiens, sed & aliquando experientia teste prola-

prolabitur Brachium, idque, vi dolorum depresso magis Foetu, ita constringitur, ut postea non nisi maxima vi & difficultate possit repelliri, quod tamen, ut Partus, incolumi Foetu, absolvatur, necessario fieri debet.

§. X X I X.

Sed alio in Casu ita pronus jacet Foetus, ut primum manui exploranti occurrat Abdomen aut Hypochondria. Ob illas, quas §. præc. exposuimus causas, præter Partum, qui per pedes sit, nullus aliis est modus, quo Foetum Abdomen offerentem, extrahere licet: atque Casus hic multo gravior est & periculosior priori: ob majorem abdominis molitatem ab iteratis auctisque Partus doloribus, idem illud altius in Uteri orificio deprimitur, ac elongatum ita constringitur, ut diutius hoc in situ sibi relicto Foetu, contenta necessario inflammari debeant: præterea hoc in situ semper & ubique Foetus Spinam præter naturam in posteriora valde incurvata habet, indeque tantam vim Spina patitur, ut nonnumquam diutius a partu, debilitatæ exinde Spinæ effecta percipiamus: tandem sub prono Foetus situ ut plurimum excidit Funis Umbilicalis, cumque ex hoc compresso, mox omnis Placentam inter & Foetum cessat necessarius sanguinis circulus, id brevi Foetus mortem causatur: atque has ob causas, si unquam, ubi primum jacentem ac abdomini incumbentem, Foetum explorando percipiens, continuo manum operi admovere, partumque

44 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

absolvere debemus, ut Foetum servemus; sed minus facile hoc in situ succedere solet hæc Enchieiresis ob præternaturem illam, quam corpusculum subit, curvaturam, qua sit, ut manui repellenti minus cedat, præfertim ubi situs hic jam aliquamdiu obtinuit, Amniique liquor diutius effluxit: ut igitur difficultati huic subvenient, partemque oblatam vi majori ab Uteri orificio repellent, nonnulli adhibendam volunt Fasciam, ex quâ Laqueum faciunt laxiorem, quem ad pedes missum iisque circumjectum, ultra malleolos propellunt, uteodem fortius attracto intercepta Crura alterâ manu attrahant, quo tempore alterâ ad repellendum corpus utuntur: sed minus laudandus est hic Operandi Modus; a forcioribus enim Laqueum attrahendi nixibus, moliores Crurum partes facili admodum negotio ad ipsa usque Offa per scinduntur, & ipsa Crurum offa sèpius Fracturam aut Luxationem subeunt; ipsaque hæc administratio non ita raro, teste experientia, frustraneo molimine tentatur; præstat igitur, ut moderatâ ac prudenti manu Abdomen ab Uteri orificio repellamus, coque leviter sublato, manum ab Abdomine ad Femur mittamus, ut eodem ad genu prehenso, articulum hunc flextamus; crure flexo ad Uteri orificium dueto, quærendum est Crus alterum, ut eodem simili modo stexo, & hoc genu Orificio opponamus; genibus dein, si fieri possit, aliquantulum repulsis, ad pedes prehendendus est foetus, ut iisdem Orificio Uteri oppositis, Partus finiatur. Notandum autem est, quod si in revolvendo Foetu majorem resistitiam offendamus, manum ab Abdomine Caput versus ducere oporteat, coque manu prehenso, leniori molimine.

mine sit tentandum, utrum illud ad Uteri fundum mittere valeamus. idque directione faciendum est arcuatâ, quâ seâ ad ipsam Uteri figuram accommodat: sic sursum ducto, quantum fieri potuit, Capite, simili modo & Humeros & reliquam Trunci partem sursum pellere debemus; hoc facto Crura pedesque prehendere, Foetum que extrahere oportet.

§. XXX.

Sed quemadmodum aliquando pronus in Utero jacet Foetus, ita nunquam in eodem decumbit supinus, primumque Partui offert Tergum. — Hoc iterum in Casu, dum complicatus excludi nequit Foetus, ad eandem, quam saepius jam laudavimus, Encheires in est transeundum & Agrippino Partu perficiunda res est: Manu scilicet alterutrâ (pro vario enim Foetus situ, ut antea vidimus: vel hac vel illâ est utendum) in Uterum immisâ, eandem secundum Dorsum foetus, Clunes versus ac Femora propellere oportet, ut Crura Pedesque queramus, iisque prehensis, Foetum solito more extrahamus; eaque Partus species hoc in Casu utplurimum succedit felicius, quam Foetu prono; eodem quippe supino, corpusculum Foetus minus alte in orificio Uteri est depresso, quodque in priora curvatum est, cæteris paribus, vi immissæ manus prementi longe facilius cedit & ab Uteri orificio repellitur.

§. XXXI.

Sed frequentius in Clunes conversum & quasi sedentem Foetum deprehendimus, eæque partes primæ sese offerunt.

Ut Foetui ita disposito rite succurramus, opus est, ut situm illius accuratius investigemus; non eodem semper modo collocatus invenitur, & ad varias, quæ variis in Casibus obtinent, circumstantias est attendendum; aliàs scilicet ita dispositus est Foetus ut Tergo suo Os Sacrum respiciat, qui Casus frequentior est; aliàs contra Dorsum ossibus Pubis habet obversum; quique alias, contiguis Femoribus, juxta Abdomen & Thoracem explicita habet Crura, aliis in Casibus, Femora diducta ac flexa Crura habet, ita ut Pedum plantæ sibi opponantur; aliàs iterum contiguis Genubus, pedes extremos a se multo habet remotos; aliàs denique Crura sese decussare deprehenduntur; cumque aliis in Casibus Clunes supremum demum marginem Pelvis attigerunt, in aliis contra jamjam altius in Pelvem descendisse observantur.

Pro variis rerum circumstantiis aliam aliamque in promovendo Partu viam ingrediamur, oportet, accurato igitur examine est explorandum qualisnam sit rerum status, ut pro re natâ Matri eæque consulamus ac Foetui. — Ubi majorem amplitudinem habet Pelvis parturientis; ubi minoris voluminis est Foetus corpus, isque Crura ad Femora extensa habet, nullâ arte opus est, solisque Naturæ viribus, complicitis ad Truncum artibus inferioribus, excludi solet Foetus; ubi vero Pelvis angustior est;

est; ubi Foetus majoris voluminis corpus habet, ubi Crura ad Femora habet reflexa, non ita facile partes quæ seſe offerunt, superiorem Pelvis aperturam tranſeunt, eæque non niſi fortissimis atque iteratis Partus doloribus in Pelvim minorem impelluntur, foetusque tantam a vehementi conſtrictione patitur abdominis compressio- nem, ut Meconium plerumque ſub ipſo Partu exprima- tur, iſque impedito liberiori humorum circulantium motu languescat: cumque præterea ex eadem hac diſſi- cultatis cauſâ multum pati ſolet Mater, neque ita raro, præter atrocifimos, quibus diutius excruciatur, Dolores, graves admodum experit. Convulſiones, ac ple- rumque præ majori corporis compliciti volumine Peri- næi rupturam ſubit, præstat, ſi in tempore adſit Obſte- tricans, antequam Clunes Pelvim fuerint ingressæ, ut quantocyuſ extractionem moliatur, quæ per Pedes fit, prævertatque, quominus poſtea, dum Naturam Partum complicatum perficiendo imparem percipit, majori vio- lentiâ uti cogatur. Simulac igitur, disruptis membranis, ex certioribus Signis, Clunes exitum moliri cognove- rimus, Manu in Uterum immiſſā, Clunes aliquantum ab Uteri orificio ſurſum ducere, & utrumque pedem ſuc- ceſſive prehendere & in Vaginam ducere oportet, ut obſervatis, quas expoſuimus, regulis, Partu Agrippino Foetus extrahatur: & ſatis facile hæc Operatio ſuccedere ſolet, ſi Crura ita ad Femora flexa ſint, ut extreimi pe- des, ſibi proximi, Clunium viciniam occupent: verum ubi a ſe invicem ſunt remotiores, non ſemper ita facile inveniuntur; ubi ergo ſub ſimpliciori hac Encheiresi, majorem in iisdem adducendis & protrahendis offendim-
mus

48. DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

mus difficultatem, plenâ manu Clunes comprehendere oportet, iisque sublatis, Dorsum foetus ad hoc vel illud Uteri latus ducere, ut ita Clunibus ab orificio magis remotis, majori cum libertate Manus in Utero circumveuns, pedem utrumque successive quærat protrahatque; de hac autem Encheiresi notandum est, quod perinde sit, in quodnam latus Foetus corpus dimoveamus; quod eo versus sit ducendum, quo magis inclinat; quod prout vel sinistrorum vel dextrorum pellere præstet, vel Lævâ manu utendum sit, vel Dextrâ; quod denique ut utrumque pedem successive prehendamus & adducamus, primum hunc quærere & protrahere oporteat, qui parturientis Lumbis propior est. — Ubi denique Crura decusfati sunt disposita, maximâ utendum est circumspectione ut illum primum prehendamus Pedem, qui ipsi Foetus corpori immediate est oppositus; hac neglectâ cautelâ, si primum prehendamus alterum, maiorem in eodem adducendo experiri solemus difficultatem, si que resistentiam, ex hac causâ eniatam, vi majori adhibitâ superare mosiamur, non ita raro Crus attractum Fracturam subit.

Ubi vero complicitis ad Truncum artibus inferioribus, Partui a longiori tempore sese obtulit Foetus, ac repetita vi Dolorum eousque fuit propulsus, ut repelli nequeat; aut ubi tam diu effluxerunt aquæ, ut Uterus ab omni parte sese striete admodum circum Foetus corpusculum contraxerit, ac Genitalia interna exinde exaruerint, rem aliquamdiu Naturæ relinquere præstat, & explorare, utrum Natura repetitis, Dolorum ope, conaminibus, complicatum Foetus corpusculum eousque depel.

depellere valeat, ut Manu Inguina attingere liceat; eo enim usque depulso Foetu, si eundem ad complicatam hanc corporis partem, uno alterove digito in formam Unci incurvato, successive ab utroque latere prehendamus, trahendo & leviter succutiendo ut plurimum eundem ulterius attrahere & in lucem edere datur; sique simul Perinæum ac Coccygem idoneo tempore in posteriora reprimamus, facilior evadit Extraictio, quæque sub hac Foetus positione tantopere metuenda est, Perinæi ruptura saepius feliciter præcavetur: ab hac autem Encheiresi si aliquamdiu frustra Partus finem expectaverimus, præstat, ut in tempore Instrumentorum operem perficere tentemus, ne Matrem æque ac Foetum certæ morti exponamus.

De hac tandem notandum est Foetus positione, quod si simul Obliquus obtineat Uteri situs, Casus exinde valde ingravescat, dum in eodem ut plurimum una tantum Clunium orificio Uteri obvertitur, alterâ supremo Pelvis magini insidente.

Hoc in Casu Partum Naturâ absolvî non posse, dilucida res est; cumque frustraneis Foetum excludendi molimib[us] defatigata & exhausta Matre, dolores languescunt, tandemque cessant, continuo ad extrahendum arte suâ Foetum sese accingere debet Obstetricans; eoque fine querendus est, qui Uteri orificio proprior est, Pes, isque ad Suram prehensus, in Vaginam est adducendus; id simul agendo, quod in oppositum latus duicitur, ut Clunium altera Pelvis oræ insidens, ab eâdem recedat, sique Pedum alterum prehendere nequeamus, (quod hoc in Casu non ita raro obtinet,) per unum pe-

G

dem

50 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

dem Foetum attrahere tenemur: quanam autem ratione
hoc fieri debeat, in §. seq., ubi de prævio Pede unico
dicimus, sumus descripturi.

§. XXXI.

Sed quemadmodum aliquando Clunes orificio Uteri
obvertit Foetus, ita nonnunquam Genua Pedesve offer-
re observatur.

Quid agendum sit Obstetricanti, si utroque Genu aut
Pede egressum moliatur, non opus erit, ut multis ex-
ponamus: hæc ex generali Partus Agrippini Historiâ, §.
XXI. traditâ, cuilibet satis intelliguntur: ad Genua Pedes-
ve prehensum Foetum protinus extrahere oportet, ad id
tantum attendendo, quod si Abdomine lateralem aut
priorem respiciat Uteri partem, (quod ex ipsâ Genuum
Pedumve positione dignoscimus) eundem sub ipsâ ex-
tractione ita convertamus, ut exiturum Caput Fronte
suâ posteriori, Occipitio vero priori Pelvis parti obver-
tatur.

Sed quæritur, quid faciendum sit, si Genuum Pe-
dumve alterum tantummodo Foetus offerat. De eo non
eadem omnibus stat sententia: volunt scilicet alii, quod
ob majorem, quam hoc in Casu, in prehendendo Ge-
num Pedumve altero aliquando animadvertisimus, diffi-
cultatem, mox, unico tantum Genu Pedeve prehen-
so, extrahi debeat Foetus: putant vero alii, quod ni
altius jam descenderit, sic ut Femur oblatum Vaginam
occupet, omni molimine id semper agendum sit,
quod

quod genuum pedumve alterum quæramus, eoque prehenso & ad alterum in Vaginam adducto, Partum A; gripparum solito more perficiamus: & ni memorata obstat causa, id in antecessum tentandum esse, opinamur, a fortiori enim trahendi molimine tantam vim patitur Femur attractum, ut non ita raro fracturam aut luxationem patiatur: & ut hoc in Casu res felicius procedat, primum explorante Manu inquirendum est, quemnam situm habeat artus, Uteri orificio obversus; utrum internâ sui parte dextrum Uteri latus occupaverit, num vero sinistrum; in priori quippe casu sinistrâ manu operari tenemur; in altero dextrâ; eoque fine, manum ad extremum illius pedem mittere oportet, ut ex ita dicto pedis Pollice situm illius dijudicemus: hoc facto, manu in Uterum immissâ, eandem digitis compositis, justa internam artus, sese offerentis, partem ad Genitalia usque propellimus, ut abhinc ad alterum Femur ducatur, ejusque viam secuta manus, ad extremum Cruris relieti pedem, (qui hoc in Casu ut plurimum ad Abdomen aut Tergum est extensus) pergit, ut eundem prehendat, flexoque Genu ad Vaginam adducat, ut ita ad utrumque pedemprehensus extrahatur Foetus. — Verum aliquando dum accedit Operator, repetita Dolorum vis jam eosque propulit artum, ut is, Crure extenso ad Genu usque prodierit; hoc in Casu dum Clunes jam altius in Pelvim sunt delapsæ, frustranei forent alterum Pedem quærendi nisus; sub his igitur rerum circumstantiis, relieto pedum altero, prudenti & moderata inanu, ac repetito conamine eosque Femur prolapsum attrahere debemus, donec tandem principium Femoris alte-

52 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

rius attingere liceat, ut illam, quam id cum Trunco facit, flexuram incurvo digito prehendamus, ejusque ope aucta potentia trahente, vim minorem Cruri elapso inferamus, & hac via pergendum est, donec eousque relictus descenderit artus, ut genu illius flectere ac dein pedem extrahere concedatur, ut porro solito more Partu Agripparum, negotium perficiatur.

§. XXXIII.

Sed ad illos pergendum est Casus, in quibus vel unum vel utrumque excidit Brachium. — Horum Casuum diversa admodum est ratio; alias enim unum tantum sese offert Brachium, alias utrumque; alias integrum prolabitur Brachium, alias aliquā solummodo sui parte, neque semper eadem sese offert pars Brachii, sed alias Cubitus est, qui primus exire nititur, alias Manus; neque sola semper Partum moliuntur Brachia, sed frequenter admodum aliarum partium socia, ut Capitis, Pectoris, Abdominis, Funis Umbilicalis, Pedis, & prout vel hanc vel illam sibi comitem habent partem, alio quodammodo alioque sese offerunt modo; notabile denique discri-
men oritur, ubi simul Obliquus obtinet Uteri situs.

Si unum idque integrum in Uteri orificio delapsum fuit Brachium, nullum a Naturā exspectare licet auxilium, licet nullam aliam partem habeat comitem, dum proxima pars corporis prae majori amplitudine sequi negat; hoc igitur in Casu arte iterum Partum absolvere co-
gitur Obstetricans, isque, ubi Brachium excidisse, ex-
plorando

plorando percepit, Foetum per pedes extrahere tene-
tur, cumque relicto aliquamdiu post disruptas membra-
nas, Foetus Brachio, id a subsecente orificii Uterini
contractione compressum, vehementer solet inflammari,
omnisque præterea Uterus circum Foetus corpusculum
arcte constrictum, conversionem illius difficillimam red-
dit, quantocytus rem aggredi oportet: ubi vero ali-
quamdiu ab emissis Aquis, accedit demum Operator;
ubi simul, manu imperita rudiora partum finienda facta
fuerunt molimina, in antecessum largior V. S. fiat, ne-
cessa est, majori enim illâ irritatione vexatus Uterus
vehementer solet inflammari & intumescere, ac spasmo-
dice simul ex hac causâ contrahitur illius Orificio, eo
cum effectu, ut in posterum cuncta brachium reducen-
di molimina eludat, & ex dictis his sponte patet, quod
licet operatio hæc sæpen numero feliciter satis succedat,
si brevius a disruptis membranis suscipiatur, liberiori ad-
huc brachio ac reliquo Foetus corpore, post diuturni-
orem moram ut plurimum gravem admodum neque ita
facile superandam difficultatem experiatur.

Quod ipsum attinet operandi modum, notamus, quod
non omnes eadem ratione pergent: alii nempe, post-
quam accuratius explorato Foetus situ, dignoverint,
quoniam in latere hæreat Caput, prout vel dextrum latus
occupet vel sinistrum, Manum dextram vel lævam digitis
compositis secundum Brachium prolapsum in Uterum
immittunt, eamque abhinc juxta Pectus & Abdomen ad
Femora ducunt, ut eodem tempore, quo ad Genua
prehensos detrahunt inferiores artus, volâ corpusculum
Foetus versus fundum Uteri pellant, ac deinde, obier-

54 DISSERTATIO OBSTETRICIO MEDICA

vatis solitis artis regulis, Foetum extrahant; verum quamquam Encheiresis illa primum suâ sese commendat simplicitate, aliis tamen & merito jure rejicitur; a prolapsô Brachio, ex causis memoratis ut plurimum via, quæ ad Uterum dicit, adeo angusta fit & difficilis, ut, ni maiorem ei vim inferamus, Manum in cavum illius immittere nequeamus: præ contracto insuper ab effluentibus Aquis, circum Foetum Utero, attractis pedibus minus obsequitur Corpus, sique resistentiam exinde enatam, vi majori adhibitâ, superare moliamur, non itararo Crura aut Femora frangimus aut luxamus; sique a longo tempore emissis Aquis partes obrigescant, & ab inflammatione tumidæ, ulterius tendantur, omne ut plurimum oleum perdimus & operam: præstat igitur, ut præscriptam aliis sequamur normam, quâ Brachium in Uterum reducere, Foetusque corpus ab orificio repellere & in latus dimovere jubent, antequam Pedum extractionem moliamur, eoque fine, postquam de siu Capitis, factâ exploratione, certiores evaserint, prout hoc vel illud latus occupaverit, (eodem enim dextrum latus occupante, laevâ utuntur & vicissim) alterutram Manum digitis illius extensis compositisque, secundum Brachium prolapsum, Uterum versus mittunt, ut Orificium illius leniter ac moderatâ vi distendant, manuque ipsum Uteri cavum attingant: superato, quod hic loci frequenter occurrit, obstaculo, manum ulterius propellunt, ac Capiti subjiciunt, ut id comprehendentes elevent ac ductu arcuato Fundum Uteri versus pellant: Sic Capite, quantum fieri potuit, sublato, comprehensum deinde ad Axillas Pectus simili modo ad tollunt, ut porro Abdomen

Clunes-

Clunesque elevent, ac partes has in illud latus dimoveant, in quo hæsit Caput: sique hæc succedat Encheiresis, moto sic Capiti ac Trunco obsequens Brachium sponte suâ in Uterum recedit, sicque via paratur amplior, quâ per pedes extrahi possit Foetus. — Sic ad faciliorem extractionem commode magis disposito Foetu, manum, quâ id egimus, ex Utero retrahimus, ejusque in locum substituimus alteram, ut pedes quæramus, siue hi ad Abdomen ac Pectus hærcant extensi, quod frequentius fit, alterum primum prehendere oportet, qui Dorso matis proprior est, ut genu abdomini appresso, pedem attrahamus & in vaginam detrahamus: aut etiam si genu flexum facilius sequatur, id deorsum in vaginam ducatur; & hac ratione, ni res jam conclamata sit, sœpe numero bono cum eventu finitur Partus. — Ubi vero manum frustraneo labore iterata vice in Uterum intromittere tentavimus, ac sic omnem, Foetum per pedes extrahendi spem decollatam videmus, in his rerum angustiis ad extrema quæ supersunt, Media transire cogimur; & ut Matri parcamus, avulso aut rescisso Foetus Brachio, viam ad interiora aperire, ut reliquum illius corpus emittamus: quanam autem ratione hoc in Casu sit procedendum, de eo hic non disputamus.

Raro admodum sola utriusque lateris simul excidunt Brachia, idque nunquam fere fit, nisi simul Partui se se offerat Caput. Hoc in Casu variâ ratione est pergendum, pro variis rerum circumstantiis; ubi in principio Partus adsit Obstetricans, tutius est, reductis quæ se se offerunt partibus, Foetum per pedes extrahere; ubi vero altius in Pelvim descenderint, quam ut hoc peragi possit,

56 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

possit, rem Naturæ relinquere licet; ubi enim minotis voluminis est Caput Foetus, ac amplior Pelvis aliquando in partu Naturali extensis Brachiis Foetus excluditur; si que ita disposito Foetu, partum promoveri, observemus, nihil hic agendum est; si vero solam Naturam rem perficiendo minus sufficere deprehendamus, Instrumenta nonnunquam eandem adjuvare, docet observatione.

Sed alius sequitur Casus, in quo vel unicus vel uterque flexus sese offert Cubitus.

Hoc dum ex traditis anteà signis fieri animadvertisimus, mox tentanda est reductio, ac modo exposito, Partum perficere debemus.

Sed sola aliquando Manus est, quæ Partum molitur: alioque in Casu una procidit, alio in Casu utraque: si sola Manus sit, quæ Uteri orificio obvertitur, eandem mox repellere oportet, ut Partu Agrippino Foetum extrahamus: idemque hoc agendum est, si flexo cubito, capiti opposita, unà cum eodem exitum queratur: quamvis enim hoc etiam in Casu nonnunquam absque ullo artis auxilio modo naturali Foetus emittatur, saepius tamen majorem experitur difficultatem, ac nonnunquam, ubi caput magnum Foetus habet, aut ubi angustior Pelvis est, tanti momenti facit obstaculum, ut postea non nisi crudeli admodum arte Partus queat absolvi.

Nonnunquam denique fieri observamus, quod eodem tempore Foetus & Manus offerat & Pedes. Hoc dum explorante manu dignoverit Obstetricans, inquirendum mox est, quonam in latere hæreat Caput, ut eodem expositâ lege sursum ducto, Crura,

ra, ad Uteri orificium relicta prehendantur, eorumque ope extrahatur Foetus.

§. XXXIV.

Sed paucis dicendum sequitur de Gemellis ac Trigeminis, qui frequenter admodum auxiliante Manu indigent.

Rite dispositis Gemellis, si alter alterum brevi sequatur, rem Naturæ committere licet; altero vero illo diutius morante, antequam sese Uteri orificio obvertat, præstat, ut hunc, juxta regulas antea traditas, per pedes extrabamus; idemque hoc agendum est, si idem ille minus convenienter sit dispositus, cumque tenuiores esse solet Gemelli ac Trigemini, ut plurimum facile satis & expedite perficitur hæc operatio: notandum autem, quod ubi male collocatus est illorum primus, aut ubi aliam ob causam Partu Naturali Foetus excludi nequit, eamque ob causam eundem convertire Partuque Agripparum extrahere cogimur, quod inquam, si sub ipsa operatione Foetum alterum Utero excipi percipiamus, majori prudentiâ sit utendum, ut Ovum alterius illius integrum servemus; disruptis quippe Ovi illius membranis dum evacuantur Aquæ, alter ille manui operanti varias corporis partes, (imprimis artas) nudas offert, cumque sic Operator, binos pedes prehenfurus, facile binos diversorum foetuum arripere posset, omni curâ cavidum est, ne Ovum alterius vel & reliquorum rupturam subeat: nonnunquam tamen hoc evitari non potest;

H

ali-

58 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MÉDICA

aliquando etiam sponte suâ rumpuntur; hic ergo dum obtinet Casus, Obstetricans, postquam Pedem primum ad Vaginam duxerit, secundum internam Cruris illius partem Manum propellere debet ad Genitalia usque, ut ita proximum lateris oppositi quærat prehendatque artum.

§. XXXV.

Sed descriptis primariis, in quibus Foetus accusari debet, Partibus Præternaturalibus, de illis agendum est Casibus, in quibus obstaculorum causæ in ipsa Parturiente sunt querendæ, & imprimis dicendum de Situ Uteri obliquo; a naturali enim positione si deviet, maximum fæpenumero, quodque non nisi artis auxilio superari potest, movet impedimentum, neque ita raro gravia admodum mala parit. — Ubi de obliquo constat Uteri situ, id imprimis agendum est, quod explorremus, quo usque a situ erecto deflectat; pro vario quippe obliquitatis gradu alio alio modo Obstetricanti est pergendum.

Ubi minor tantum obtinet obliquitatis gradus, sic ut productus Uteri axis in Vaginam cadat, res Naturæ posset committi; hoc enim in Casu dum Caput plus quam dimidia sui parte Vaginam respicit, iterata Dolorum vi depri-
mi pergit, ac gradatim superato, quod a perverso Uteri situ oriebatur, obstaculo, ulterius in Pelvim descendit,
& reliquum Partus negotium, lentius licet, ipsâ Naturâ
absolvitur, multumque huc facit, si, quod antea jam
monui-

monuimus, eum in situm Parturientem componamus, in quo devians Uterus ad naturalem positionem reddit.

Ubí vero eosque a situ naturali Uterus deflexit, ut productus illius axis in ipsam Pelvis minoris oram superiore cadat, nonnunquam quidem ab eadem delapsum Caput in Vaginam descendit, ac eodem modo ac in Casu priori expellitur: alio tamen in Casu eadem sistitur ibique hæret immotum.

Si supra oram hanc cadat axis, Pelvi majori appresso Capite, frustranea semper sunt naturalia Foetum expelleendi molimina, Partusque Naturæ ope, finiri nequit; eoque in Casu Dolores languere incipiunt, rariores evadunt & languidores, tandemque cessant; pars Utteri, Capiti ac Pelvis Ossibus interjecta, pressione inflammatur, aliaque mali ominis Symptomata sequuntur.

Sic quibusdam in Casibus Partum Naturalem sequi, videmus; cum vero in aliis eundem sperare non licet; in aliis dubius est rei eventus; cum denique in aliis, diutius morando, una cum Capite alia etiam pars Foetus, imprimis Brachium excidit, tutius est, ut in tempore Naturæ erranti succurramus: ubi ergo mox ab effluente Amnii liquore adest Obstetricans, manum ita in Uterum intromittit, ut dorso suo Pelvim, volâ Foetum respiciat, eaque Capiti applicitâ, ipso imprimis vigente Partus dolore, idem illud ab illo, quo retinetur, Pelvis Ossē solvere nititur, & in Pelvim reducere; ita nonnunquam viam reducta Natura, Partum modo vulgari, quamquam lentius, absolvit.

Verum ubi simpliciora hæc Naturam adjuvandi conamina frustra fuerunt tentata; aut ubi tantum obtinere ob-

60 DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA

liquitatis gradum, deprehendimus, Partu Agrippino Casum hunc solvere oportet, idque quantocytus, ne res in pejus ruat, ac opere hoc sero nimis tentato, ad alia, quæ nunquam nisi in extremis rerum angustiis adhibenda sunt, Media confugere cogamur. — Rite autem, dum obliquo situ peccat Uterus, disponatur Parturiens, necesse est, ut res felicius peragatur, cumque variis modis deviat Uterus, alioque tempore, quod frequentius, Fundo suo in priora, alio in alterutrum latus deflectit, alio alioque Parturientem collocare oportet situ, ut ita orificio illius ad Pelvis axin reducamus; ita in priora dum inclinat Uterus, eaque ex causâ, Orificio suo, Sacro Ossi opponitur, supina decumbat Parturiens, ac Abdomen simul elevetur, & continuo sustineatur; ubi in latus aberrat, ut antea jam notavimus, in illud latus decumbat, a quo Uteri fundus deflectit: cæterum prout variant circumstantiae, Encheiresin suam mutare tenetur Obstetricans, quod dum ex prægressis satis potest intelligi, fusius exponere supersedeo.

Frustra autem tentato Partu Agrippino, (quod dum diutius jam duravit Partus, frequentius fit,) explorandum est, utrum Forcipis ope Caput, quod saepius inclavatur, solvere queamus, ne ad crudeliores Foetum extrahendi modum transire cogamur.

§. XXXVI.

Præter Obliquum Uteri situm, plures alii sunt Casus, in quibus obstaculorum causæ in ipsâ Parturiente sunt quæ.

quærendæ, nec nisi Partu Præternaturali Foetum extra-
here datur: quum vero plures illorum armatâ indigent
Manu aliique ex prægressis satis intelliguntur, enumera-
randis & exponendis his supersedeo, eoque magis, dum
Dissertationem hanc jamjam in volumen justo majus in-
crevisse, video. — Legibus Academicis, quibus
obtemperandum erat, me satisfecisse, puto; petitâ igi-
tur pro laude veniâ, manum de tabulâ mitto.

T A N T U M.



A

X X X A L

THE

H 3

THESES MISCELLANEÆ.

I.

Ars Obstetricia omnium artium est nobilissima.

I I.

V. S. aliquando Abortum producit, aliquando præcavet.

I I I.

*Funem Umbilicalem duobus in locis ligare & in medio
rescindere, tutius est.*

I V.

*Placenta, si brevi post infantis exclusionem, levioribus
extrahendi conaminibus non obsequatur, tutius, (nisi
præsens Hæmorrhagia contrarium indicet,) per horas,
per dies, relinquitur.*

V.

*Sanguinis e Genitalibus effluxus, Gravidis superveniens,
non semper præsagit Abortum.*

C H

V I.

IV I.

Liquore Annii, Foetus magis defenditur, exitusque ejus paratur, quam quod illi sit nutrimento.

V I I.

Animi Deliquio aliquando Hæmorrhagia, quæ illud concitaverat, sifitetur aut imminuitur.

V I I I.

Offa Pubis, infantis Capiti non cedunt.

I X.

Foemina Gravida si ultimis gestationis mensibus moriatur, Foetus causa, statim cum decessisse censetur, Sectionem Cæsaream instituere oportet.

X.

Qui Puerperis primis diebus Purgantia præscribit, incute agit.

X I.

Præter puerinæ, nullum certum perfeciæ mortis datur indicium.

X I I.

X I I.

Ubi injuriis externis vehementioribus expositum fuit Caput, quanquam nulla graviora Symptomata sequuntur, ac nullum fere Vulnus detegi potest, molliora capitis integumenta solvere & ipsam Cranii Galeam examinare, prudentis est Medici.

X I I I.

Multo magis autem id fieri oportet, ubi Vulnus majus detectur, ubi graviora supervenient Symptomata, v. g. Delirium continuum, Convulsiones vehementiores &c. ut Trepanatio instituatur; ne, neglecta bac, illum, qui servari non potuit, interfecisse videatur.

X I V.

Vesicatoria autem & Epispastica tali in Delirio parum vel nihil valent.

X

LX

multo etiam cibis paucis nullum curare debet.

LIX

VIRO

VIRO JUVENI DOCTISSIMO
HENRICO SCHULTZIO,

*Cum Laurea Doctorali Summisque in Medicina honoribus
condecoraretur.*

Haec tandem Laurus tua tempora *Schultze* manebat,
Et praestans studiis digna corona tuis.
Scilicet hos referunt fructus, haec praemia reddunt
Affiduae Curae, Sollicitusque Labor.
Hinc, Natura negans, cumque urgent pondera Foetus,
Et Lucina manum, auxiliumque negat;
Tu gemitus altos gravidae, miseratus, inerme
Auxilium referes, subsidiumque dabis.
Chalybe ne teneros, lacerarent forcipes, artus,
Tu mitem doces, qua fiat arte Manum.
Haec monstrant Laudem, plausumque latura perennem,
Scripta nec infesta post peritura die.

三

Jane

Jam te laeta Mater, binis amplectitur Ulnis,
Jam protectorem te auxiliumque vocat.
Egregium Juvenem cuncti mirantur, Alumno
Laeta sit insignis Stadica terra suo.
Te praesens laudet, laudabit senior aetas.
Fama feret clarum Nomen ad Astra tuum.
Perge per ingenuas sic ire fideliter artes,
Perge, Favore Dei, magna speranda Tibi.
Laudibus insignis post haec ornatior ibis,
Nec mora festinum retrahet ulla Pedem,
Te tua, quae duxit Virtus ad grandia rerum
Evehit. Ingenii nomina magna dabit.

BODDAERT, M. D.













